



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quomodò benedicuntur rectè co[n]tractibus vtentes, & quatenùs malè vtentes grauitèr puniuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

lissimè potero, & extrudam quàm carissimè. Scriptura dicit ad Tit. 2. iustè & piè viuamus in hoc seculo. Exigit Deus à te iustitiam etiam gratuitam erga proximum, sicut tu accipis gratis ab illo iustitiam Rom. 3. & Phil. 3. Sed quis possit enumerare omnes fallacias atq; versutias contractuum, & maximè huius temporis, ubi nulla conscientia, nulla politica fides, nulla charitas proximi reperitur? Non magnum est habere diuitias, sed hoc arduum est, an iusto titulo, bona conscientia, sine damno proximi & cum charitate habeas. Habuit enim & Iudas triginta argenteos.

Tertiò, de benedictione & punitione contractuum dicit scriptura, primum de benedictione Deut. 25. Non habebis in sacculis diuersa pondera, maius & minus nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iustum & equum, & modium æqualem & verum, ut multo tempore viuas super terram, quàm Dominus Deus dederit tibi: abominatur enim Deus illi qui facit hoc: & Prou. 16. melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum impietate & Mat. 16. Marc. 8. Luc. 9. Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucratur? aut quàm commutationem dabit homo pro anima sua? Si ergo vis coram Deo longo tempore viuere, & prosperare in emendo & vendendo, iustè habere omnia exerceas sine dolo aut damno proximi, id est cum dilectione propter Deum, qui hoc tibi precipit. Dicitur Prou. 12. Fraudulentus non inueniet lucrum. Igitur caute ab omni auaritia, inquit Christus Luc. 12. Quod iustum est & moderatum, ut aliquando fiat laboribus tuis compensatio, non prohibetur: vult enim Deus perpetuam communicationem, ideoque necesse est esse tibi æqualem compensationem: si enim vna pars tantum daret, & altera reciperet, non esset perpetua communicatio. Ideò si res alterius partis exhauritur, non manet equalis compensatio, aut perpetua communicatio. Peccant igitur qui alios ita penitentia

exhauri